

Appendix. — Europa Nro. 51.

## Regnum Mortuorum.

Sermo politicus Mortuorum.

In Elisio 10. Junii 1808.

— — — Quos tenet Atlas.

Coelos; quemque oculis centum mundum aspicit Argus;  
Fabula nonne fuit?

*Palin.*

Umbrae loquentes: *Atlas — Argus.*

*Atlas:* Nec puer nunc credet, Arge! te habuisse centum oculos.

*Argus:* Et quis credet, te machinam coeli humeris gestare? — et tamen fuit dogma fidei apud Graecos, qui nunc velut exempla illuminatismi exhibentur.

*Atlas:* Apud me habet fabula tamen aliquam verosimilitudinem. Alpes Affricae, quae in Imperio Maroccoano versus occidentem ad oras usque maris procurrun; in mediterraneis autem per totam Africam versus orientem usque Tripolim protenduntur, et ingentia deserta meridionalia *Sachara* ab aquilonaribus Barbariae regionibus dividunt; exhibent miraculum naturae, quod merebatur inter fidei articulos Graecorum assumi. Sed tu chare Arge! cum tuis centum oculis? Hoc est risu dignum. Quid si ocularibus usus fuisses?

*Argus:* Noli te inflare Atlas. Poetae quidem exaltarunt tua miracula, ut plane mare Atlanticum ab nomine tuo denominationem acceperit; sed quid es nunc? Ferae contendunt cum habitatoribus tuis, qui in miseris tuguriis degunt, de possessione terrae; celebris hortus Hesperidum est pelagus fluxae arenae, ubi nec herba crescit, minus aurum reperitur.

*Atlas:* Tantum patientia Centumoculo! Mox aliter mecum futurum est. Tui Centum oculi non sufficient videre illa miracula, quae in patria mea Affrica enascentur. Memineris adhuc bene, quanti apud Romanos fuerit Affrica. Erant tempora, ubi sibi obviantes quaerebant: *Quid novi in Affrica?* et dicere solebant: *Affrica semper aliquid novi adfert.* Paulo post fiet iterum sic, Europaei, et moderni Romani maximas novitates accipient ex Affrica, et interrogabunt se invicem, sicut olim: *Quid novi in Affrica?*

*Argus:* Unde hoc praesagium?

*Atlas:* Putas ne tu, Imperatorem Maroccanum cum Anglia ita colludere posse, si Hispania energeticum accipiat gubernium? haec fertilis, et coloniarum capax Africae pars eripietur manibus Barbarorum, et pro commodo humanitatis cultivabitur.

*Argus:* Debilitas gubernii hispanici fuit causa petulantiae Barbarorum, et fundamentum existentiae Imperii Maroccani.

*Atlas:* Nunc! quemadmodum certae Ephemerides scribunt, in lucta gigantea, et multorum annorum inter Britanniam et Galliam occupavit illa amaenissimas, et ditissimas Insulas, littora, et loca commercialia, insuper Indiam; haec autem florentissimam, et potentissimam Europae medietatem. *Brittannia* evasit domina omnium mercium, et Emporiorum; *Gallia* contra imperat facultatibus, et voluntati Empitorum. Commercio adhaeret, et totus mundus patitur, bellumque durat furore mortali. Anglia immensorum thesaurorum Indiae Domina, sine permutazione immensorum suorum promptuariorum subsistere non potest, et perit in medio accumulatarum mortuarum divitiarum. Continens Europae sine productis Orientis et occidentis succumbit oneri caristiae, ac si necdum *Columbi*, aut *Gamae* exstitissent. Non obstantibus giganteis praeparationibus in medio Oceani sedentem Albionem Napoleon hactenus armis suis assequi non potuit; et multi sunt, qui dubitant, hoc unquam cum successu fieri posse; atque in hoc casu bellum hocce commerciale — non enim aliud est, idque memorabilissimum, quod historia mundi unquam vidit — adhuc diu duraret; et in fine is victor foret, qui diutius altero carere posset. Galliae potentia et magnitudo absque maritimo commercio foret nulla, et cum tempore potentia insecure; nam quid Anglia omnipotentia auri sui facere possit, jam satis experta est Europa; Vicissim magnificentia et divitiae Angliae citius disparerent, quam exsurrexerunt, si cum Gallia, quae Europae dominatur, commercium suum, et colonias suas partiri deberet, quin garantiam haberet, portus, et emporia Europae nunquam dehinc amplius sibi oclusum iri; si eorum Gallia haberet *condominium* commercii univessalis, et purum privatumque dominium praecipuorum Emporiorum Continentis, quid porro amplius Angli haberent? — Commercio *ligatum*, quod nec unius diei daret securitatem: Hactenus fuerant Coloniae in aliis mundi partibus, hi scilicet fontes principales commercii et Industriae Europaeorum, admodum inaequaliter divisae, nunc autem stant sub Anglia, etiamsi non occupatae, certe tamen ad influxum Angliae restrictae;

quemadmodum Continens sub influxu Galliae. Et quomodo pax?

*Argus:* Cum omnibus meis centum oculis ego nullam video.

*Atlas:* Ideo volo tibi nova diplomatica principia occupationis alienorum regnorum exhibere, quae in iis, quae recte dixeram, fundantur.

Munitor Parisiis 4. Junii continet Senatus consultum de 24. Maii circa conjunctionem Toscanae, Parmae, et Placentiae cum imperio gallico, cum motivis quae Minister Status *Regnaud* de St. Jean d'Angeli nomine Gubernii; Senator *Semonville* autem nomine commissionis Senatus pro hac incorporatione adduxerant; quorum summa est: — Omnes littorales totius maris Mediterranei regiones debent partem aut territorii gallici, aut magni illius regni constituitur; Illae nempe, quarum litora juxta mare Adriaticum procurrant, debent cum Regno Italiae, quae vero mari mediterraneo adjacent, et Galliae finibus propiores sunt, cum Imperio gallico conjungi. Liburno Toloniam, Genuam, et ad Corsicam via brevior est, quam Mediolanum. Regnum Neapolitanum, quod et Adriatico, et Mediterraneo adjacent, formabit quidem separatim, eidem tamen foederativo sistemati, eidemque Politicae subjectum regnum. Portus Liburniae, quia regno adpertinebat, quod debili Principi suberat, recidit sub influxum Angliae, evasitque principalis commercii anglicani canalis. Oportebat saepius legiones gallicas Liburnum venire, ibidemque merces anglicas occupare, qua occasione neutralitas Toscanae praeter voluntatem violari debuit, quales territorii laesiones, licet necessariae, semper tamen ingratae sunt. Cum Liburnum Gallicum simul, et anglicum esse non possit, ergo fiat gallicum. Liburnum praeterea, et tota regio littoralis Toscanae habet bonam pubem nauticam, qua nos ad instruendas classes nostras egemus; nam ubique exstruuntur naaves, atque adeo hac eadem proportionem media pro iis armandis exquiri debent. Sic novissime Tulonii classis quasi per magiam exsurrexit, id quod potissimum conjunctioni Genuae debemus, cum multi filiorum ejus in hac classe cum laude serviverint. Filii *Arni* ad parem vocati sunt gloriam, ideo Imperator vult, ut Specia fiat portus militaris, et adhuc ante finem anni exurgat ibidem classis 6. triremium. Non conveniret, ut talis portus in limite regni esset, quem necessario comiteatui providere haud foret possibile, si ad portas ejusdem externum esset gubernium. Specia futura est alterum Toloniam maris Mediterranei, atque adeo conjunctionis Toscanae est corollarium hujus gigantei plani; sed est etiam salutaris pro ipsa Toscana, quae sub infirmis

administrationibus aëa insultum Barbariae fuerat. Homines lodierni aevi non possunt secundum arbitrium, aut phantasiam gubernari, sed opus est firma regula, et dominio legum sub imperio potentis unius Principis, qui super omnes humanas passiones elevatus est; Tandem enim jam praeterivisse tempora, ubi populos pro Regibus, non vero Reges pro populis creatos esse, homines putabant. Curiae, agri, prata, et sylvae possideri possunt; ast gentes non possidentur instar Praediorum. Magna resultata nonnisi in magnis civitatibus obtineri possunt. Frustra enim ingemunt aliqui magnam Imperii extensionem; Communicatio enim per mare minuit locorum distantiam, et quia non amplius Alpes, non Appennini existunt, communicatio per terram nihilo difficilius est Liburno Parisios, quam Parisiis Nissam. Politica Europae remotissimas sibi subiecit regiones, ut ibidem objecta commercii, et rei navalis inveniat, cur ergo deberemus objecta, quae ante fores nostras jacent, negligere? Patria Medices, Patria Scientiarum et artium, debet esse pars immediata gallici Imperii. — Ducatus *Urbino*, *Camerino*, et *Marchia Anconitana*, quae littoralia maris Adriatici claudunt, steterant olim sub influxu Venetorum, ergo debent partem Regni Italiae constituere. In portu Anconitano exurgent mox 10. naves lineales, quae libertatem maris adriatici defendent, pro quibus Ancona portus, Venetiae autem promptuarium futurum est; Adhuc ante finem Aestatis aderunt paratae 6 naves, quod Anglos coget in his periculosis maribus saltem ad sex pariter classicas naves tenendas. Non! non durabit bellum in aeternum, ingemunt licet passionibus excaecati homines in Cabineto Londinensi. Paucis intra diebus habebimus ad portus *Vliesingensem* et *Antverpiensem* classem 30 navium linealium, et totidem ad *Brvatensem*. Eventus in Hispania labescentem, et male administratam provinciam in constitutionalem et energeticam converterunt Monarchiam, cujus vim Gades, Ferrol. Cartagena jam nunc experiuntur. *Tulon*, *Spezzia*, *Venetiae*, omniaque Hollandiae, Hispaniae, et Italiae media sunt in motu; nos navibus egemus, ad quas struendas memoratae regiones materialibus abundant. Maximum tandem motivum pro incorporanda Galliae Toscana erat necessitas, dirigentem Galliae administrationem relate ad bellum maritimum cum omnibus membris magnae confederationis in immediatam ponendi conjunctionem; absque hac enim incorporatione non daretur immediata communicatio cum Neapoli, sed haec communicatio deberet fieri per ditiones, alieno Imperio subjectas, quod facile energiam frangere posset, quae necessaria est, ut media illarum provinciarum, quae portus, et classarios habent, contra communem hostem debite adplicentur.

Cer

mer  
ricu  
tum  
eum  
cred  
etern  
nunc  
den  
vita

sent  
stan  
ut fa  
seder  
utpo  
litas  
et ho  
indus  
temp  
dities  
aut l  
tania  
one a  
hanc  
imagi

tamq  
tione  
comm  
tilis  
rum  
littora  
muner